Theses,

quas

Consentiente Max. Ven. Consist. Eccl. Lundensi,

pro munere Rectoris obtinendo

miti bonorum censuræ

modeste proponit

JOHANNES GEORG. LÖNEGREN,

Philos. D:r, ad Scholam Christianstad. Apolog. Collega.

Respondente

FREDERICO RUDOLPHO RIETZ,

Scano.

In Auditorio Majori die XXII Junii MDCCCXLIII.

H. ante m. s.

Lundæ,

typis Berlingianis,

MDCCCXLIII.

I.

Quam in ceteris rebus, eandem in studio antiquitatis (Latinitatis et Græcitatis) æstimando varietatem sententiarum tempora secum habent. Ego autem illis potius adsentior, qui studium illud antiquitatis venerandæ ita amplectuntur, nihil ut hujus studii ætati nostræ putent licere nescire. Nonnulli vero, parum prudentes iidemque utilitatis studio nimis ducti, ea tantummodo utilia et laudanda putant, quæ in muneribus futuræ vitæ fungendis insignem quandam secum habere utilitatem videntur.

II.

Nostris diebus multa omnino de scholis sunt disputata, neque ulla quæstio vehementius, quam illa de optima ratione instituendi, agitata videtur. Quod vero in aliis compluribus, idem in hac re valet proverbium vetus: "Quot capita, tot sensus."

III.

Ut omnino in deligendo genere vitæ in primis naturæ ratio est habenda, sic hoc est eis, qui instituunt aliquos atque erudiunt, diligentissime videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur; natura enim reluctante labor irritus est. Mihi igitur hoc vere videor esse dicturus, quæ literis et

doctrina puerili traduntur, ea ad naturam puerorum esse accommodanda eaque conformanda in unoquoque, quæ uniuscujusque natura forte patiatur.

IV.

In eruditione juventutis duo sunt vitia, quæ, nemo est, quin effugere cupiat: alterum ut memoriam solam, ceteris partibus ingenii neglectis, exercendam existiment; alterum, ut pueri, quibus nihil ingenii, nihil virtutis putent, temere et imprudenter negligantur. Hæc vitia eo magis sunt animadvertenda, quo facilius in ea incidunt tirones.

V.

Quærenti vero, unde potissimum hæc in literis classicis proficiendi tarditas, de qua multi queruntur, originem ducat, equidem non video, cur, quid ipse sentiam, dicere non audeam. Quid enim aliud esse causæ putemus, nisi quandam difficultatem incredibilem et subtilitatem harum linguarum.

VI.

Grammatica ista est optima prolusio bene cogitandi, beneque dicendi eamque philosophiam elementarem recte appellemus, sed nimium laboris et temporis, quod jejunæ istæ verborum faciendorum struendorumque scientiæ interdum imponitur, pueris nullam afferre delectationem, sed animos illorum a legendo abalienare potius videtur, ut tali modo voluntatem discendi simulcum spe perdiscendi sæpe abjiciant.

VII.

Inter omnes constat, neminem sine scribendi loquendique periculo linguam perfecte cognoscere posse. Equidem nullam intelligo esse vim in regulis atque exceptionibus, lectis ad eum finem, quæ memoria teneantur et ex verbis pronuntiari possint, nisi frequens accedat usus scribendi et loquendi.

VIII.

Numerum oratorium, Græce "ῥυθμον," nemo, credo, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in bonis auctoribus legendis atque interpretandis excercuerit, consequitur; neque vero multis probari necesse est, ut in musicis, sic in scribendis, omnia certa quadam numerorum moderatione ac pedum adstricta esse debere.